

## LIBER TRIUM VERBORUM

Siccitas Alchimix tingit & non aliud, quia alkale & non aliud tingit. Illud quod est in manifesto frigidum & humidum, est fumus corrumpens. Oportet ergo quod frigidum & humidum recipiant caliditatem & siccitatem, quod erat in occulto, & fiant una substantia. Illa autem frigiditas & humiditas est fumus corrumpens & aquosus, de quo dicitur, quod humiditas aquosa & adustiva corrumpit corpus & tingit in nigredinem. Istas ergo infirmitates oportet destruere in igne & per gradus ignis.

### *De Lapidis ipsius proprietate.*

#### C A P. II.

**H**ic est Liber Trium Verborum, liber Lapidis preciosi, qui est corpus aëreum & volatile, frigidum & humidum, aquosum & adustivum, virtute divina. Et tunc mutatur spiritus in nobilissimum corpus, & non fugit ab igne, & currit ut oleum, quod est tinctura viva multiplicativa, ponderativa, colorativa, declarativa, consolidativa, pulcherrima, ingressiva, præservativa.

*Proprietates tincturae.*

### *De occulta caliditate & siccitate in humido & frigido existentibus.*

#### C A P. III.

**O**pus mirabile Trium Verborum, est opus illud, quod de tribus verbis legitur, & aliter à quibusdam intelligitur, ut omnes clarè & apertè non intelligant causam in tribus verbis. Hoc inquiritur in humido & frigido, in quo est occulta caliditas & siccitas, & hoc scire nos oportet, ut faciamus de manifesto occultum, & de occulto manifestum: & istud occultum est de natura solis & ignis, & est pretiosissimum oleum omnium occultorum, & tinctura viva, & aqua permanens, quæ semper vivit, & permanet, & acetum Philosophorum, & spiritus penetrativus: & est occultum tingitivum, aggregativum & revivificativum, quod rectificat & illuminat omnes mortuos, & surgere eos facit, postquam non fugit ab igne eius caliditas & siccitas.

*Occulta manifestare*

*De cons*